



Iacobus natus est Argentinæ ex nobili Sturmio
 rum familia anno 1492. Hunc parètes ob insignè
 ingenij promptitudinem optimis præceptoribus
 commendarūt, atq; melioribus literis institui cura-
 runt. In ijs adeò profecit, ut suos æquales facillè supe-
 raret, atq; in uirum eruditum euaderet. huic doctri-
 næ etiã uitæ innocentia, atq; rara facundia cū ad-
 iuncta prudētia accessit. Itaq; uir factus in senatum
 cooptatur, & hinc inde uarijs ad exteros legationi-
 bus præficitur. Eo tempore 1528 Argentinæ docto-
 rum uirorum admonitionibus religionis status mu-
 tatus, atq; Euangelij doctrina suscepta. Id cum Cæ-
 sar & Imperij principes cognouissent, ægerrimè tu-
 lerunt. Vnde Iacobus hinc inde publico nomine ad Imperij comitia legatus
 missus, ut Magistratus factum excusaret. Tum etiã reliquæ Imperiales ciui-
 tates superioris Germaniæ, qui religionem mutarant, hunc Sturmium elegerūt,
 ut suæ causæ apud Cæsarem patrocinaretur. Sicq; factum ut Iacobus plurima-
 rum Imperialium ciuitatum per multos annos in comitijs legatus, atq; orator
 magna laude fuerit. Cum is anno 1529 Spiræ in cōuentu esset, atq; Euangelico-
 rum in Camera assessores ob Missam abrogatam à præsidibus repudiarētur,
 Sturmius intrepidè ea de re protestatus, atq; sui magistratus & sociorū nomi-
 ne dixit: quod si boni uiri, præter Imperij morem, ad hunc modum loco mo-
 ueantur, nō esse quod posthac ab ijs ulla sumptuum communicatio expecte-
 tur. Pari ratione & tum primùm aliqui principum contra facta decreta prote-
 stantur. Vnde tum primùm Protestantium nomen exortum. Postea tamen in
 comitijs Ratisbonensibus Euangelicorum assessores cum alijs in Camera ad-
 missi. Sequēti anno Sturmius iterum cum Mathia Pfarrero ad magna Augu-
 stina comitia legatus missus, ubi tanta prudentia & facundia suorum causam
 egit, ut omnēs in sui admirationem perduxerit. Inde anno 1536 ciuitatum no-
 mine ad Heinricum 8. regem Angliæ missus, ut de rebus maximis cum eo con-
 ferret. qua legatione probè functa, cum laude in patriam redijt.